



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Metaphoræ & Allegoriæ exemplum. Cap. XXI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)



Hac figura vtetur orator Ecclesiasticus: Vlciscere iniurias illatas, occide inimicū tuū, filios tuos heredes huius intestini odij relinque, imminue patrimonium tuum, dita pratorios ministros, te vltorem iniuriarū acerrimum omnes prædicent: considerabis deindè num rectè feceris. Magnā vim habet hac forma dicendi, ad dissuadendum aliquid, & ad prauam aliquam consuetudinem remouendam.

Metaphoræ & Allegoriæ exemplum.  
Cap. XXI.

**S**ANCTVS Cyprianus in sermone de zelo & liuore, ita metaphora vsus est: Porro autem Dominus prudentes esse nos iussit, & cauta sollicitudine vigilare præcepit, nè aduersarius vigilans semper, et semper insidiās, quando in pectus obrepit, de scintillis constet incendia, de paruis maxima exag geret; & dum remissis & incautis, leniore aura et flatu molliore blanditur, procellis & turbinibus excitatis, ruinas fidei et salutis, ac vitæ naufragia moliat. Basilius de laude ieiunij, pulchrā adhibet metaphoram: ieiunij reuerere canitiem, æquale est humane naturæ. Idem sanctus Basilius in quadam oratione, præclarissima allegoria ita vsus est: Vnusquisque nostrū priusquam in vltimum discrimen & perniciem adducatur, oneris partem quam plurimam deponat; priusquam scapha fluctibus obruatur, mercium iacturā faciat, quas nullo iure collegerit, & imitetur nautas: illi enim si quid rerum necessariarū in naui vehant, ac tempestas grauior et periculosior excitetur, quæ nauim pondere oppressam, se minitetur obruturam, quàm celerrimè possunt, magnam



gnam eijciunt partem, ac nihil parcendo, merces in mare exhauriunt, quo navis subleuetur, & integris saluisq; corporibus, periculū euadant; hoc nos multo magis, quā illos, & consulere oportet, & facere. Admodū raro ad populum putare in oratori Ecclesiastico, conficiendam allegoriam, nē obscura reddatur oratio. Quomodo autem sint explicanda & adhibenda allegoria, paulō post, cum de ratione explicandarum sacrarum literarum tractabimus, dicemus.

Imaginis exemplum.

Cap. XXII.

**I**MAGINIS exemplum est apud Esaiam, Quasi parturiens dolebunt: & apud Hieremiam, Quia inuenti sunt in populo meo impij insidiātes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas, ad capiendos viros. Itā Ecclesiasticus orator, ruri inquietos rusticos, appellabit crabrones, usurarios, sanguisugas; utetur frequentibus imaginibus ad rem imprimendam.

Exempla similitudinum, quæ ornatam efficiunt orationem.

Cap. XXIII.

**S**IMILITVDINES non solum ad probandū aliquid, sed etiam ad delectādos animos adhibentur, idcirco inter figuras sementiarum, similitudo collocatur. Basilus in auaros inuebens, itā facit auarum loquētem: Cui verò iniuriam facio, si mea cōtineam? cedo quænam tua sunt? vndè sumpta in vitam intulisti? ut si quis in theatro spectaculum occupārit, deindē ad euntes prohibeat,